

XXXIX. Prima eminentia designatur *Hæredis* titulo
 v. 2. ὅν ἔφηκε κληρονόμον πάντων. Ubi not. (1.) Apostolum
Hæredis uti titulo maluisse, quam *Domini*, uti Act. II. 36
tum ut retineat eandem, quam paulo ante expresserat, rela-
 tionem, Christum nimirum vere ac proprie esse Filium
 Dei, quia Filius est Hæres, unde & ἐῖς τὰ ἴδια Joh. I. II. tan-
 quam proprietarius venisse dicitur; *Tum*, ut perpetuitatem
 hæreditatis ostendat. *Filius* enim perpetuo manet in domo,
 Joh. VIII. 35. Hinc Chrysost. in h. l. *Hæredis* utitur nomine,
 quod proprius sit Filius, & quod Dominationis illi nulla con-
 tingat amissio. *Tum* denique ob vaticinij adimpletionem.
 Sic enim Psal. II. 8. *Postula à me, & dabo tibi Gentes in hæ-*
reditatem, & fines terre in possessionem.

XXXIX. Not. (2.) Apostolum adhibere vocem ἔφηκε,
 ad insinuandum, quod Christus rerum omnium sit Domi-
 nus, non ratione creationis tantum, quæ Deus; sed & ra-
 tione donationis, quæ homo. Ps. II. 8. Joh. III. 35. Matth.
 XI. 27. Quæcunque enim Christo in tempore data dicun-
 tur, secundum humanitatem collata rectè intelliguntur,
 per regulam Theologorum. Et licet ab initio statim con-
 ceptionis hæreditatem hanc sit adeptus, dominum tamen
 ejus ob statum exinanitionis non plenariè usurpavit, sed
 post exaltationem demum, & sessionem à dextris.

XL. Observ. (3.) vox πάντων; quam ad personas,
 tum hominum, tum Angelorum, cum nonnullis ut restrin-
 gamus, nullam videmus urgentem rationem. Particula e-
 nim universalis restrictionem talem respuit. Versus præte-
 rea 8. Ps. II. ubi non tantum dicitur: *Dabo tibi gentes in*
hereditatem, sed & fines terrarum orbis in possessionem; ei-
 dem manifesto obstat.

XIXXX

XLI